



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum Societatis Iesv instituit**

**Ribadeneyra, Pedro de**

**Coloniæ Agrippinæ, 1602**

Socii Lutetia in Italiam ad Ignatium veniunt. VII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45323**

tam sua sententia declararet, omni studio contendit, atq; impetrauit. Sententia autem, qua Ignatii integritas allegato per iudicem suum ordinariū p̄tē facta est, apud nos extat exemplar.

*SOCII LVRETIA IN ITALIAM ad Ignatium veniunt.*

CAPVT VII.

**D**Vm Ignatius Venetijs socios præstolatur, graue bellū in Gallia subitò exarsit. Namq; Carolus V. Romanorū Imperator, magnū exercitu, per Insubrum fines Galliā inuasit. Quamobrem nostri, qui professioni suæ eum diem, qui dies Cōuersioni diui Pauli est consecratus, anno 1537. constituerant: bellico tumultu et præuenire sunt coacti, & decima quinta die mensis Nouembris 1536. Lutetiam excedere. Iter autem in hunc ferè modum instituerunt. Omnes scriptorum suorum quisque sarcinula onustū vestitu vili abiectoque pedibus iter faciebant. Qui Sacerdotes erant (erant autem tres, Petrus Faber, Claudius laius, Paschasius Broetus) rem diuinam quotidie faciebant; sex reliqui aduersus graues longæ molestæque viæ diff-

cultates, panis cælestis virtute sese  
communiebant. Ingredientibus di-  
uersorium, egredientibusq; orationis  
prima erat cura. In ipsa via orationi  
meditatio, meditationi sermo de di-  
uinis rebus succedebat: cibus frugalis,  
sobriusque. In rebus decernendis, plu-  
rium sententijs stabatur, idq; summa  
concordia. Quotidianas pluias per  
Galliam pertulerunt, hyemalem aspe-  
ritatem per Germaniam Læti tamen,  
atque alacres insuetum durumque la-  
borem obibant: & Deo duce, multis  
(quædam tam lōgis itineribus aduenis  
præsertim, ignotis, atque egenis homi-  
nibus vsu ferè venire solet) maximisq;  
periculis liberati sunt. Porrò, eo ipso  
die, quo Lutetia exierunt, nonnulli ha-  
bitum, incessum, numerum nostro-  
rum Patrum admirantes, de rustico  
quodam, qui prætereuntes illos curio-  
sius fortè intuebatur, familiariter que-  
sierunt, qui nam illi homines essent?  
& ille, nescio quo afflatu, Gallicè; Ali-  
quam, inquit, prouinciam reformatu-  
ri discedunt. Venetias ad octauum di-  
em Ianuarij, anni 1537. peruenerunt, v-  
bi cum Ignatio ipsos (vt inter se con-  
uenerat) expectante, & cum alio Sacer-  
dote, quem ad Ignatium sese adiun-  
xisse.

xiffe.

xiffe iam diximus, peralacriter se con-  
iunxerunt. Et quoniam Romam eun-  
di, benedictionemque ad profectio-  
nem Hierosolymitanam à Pontifice  
Maximo petendi, nondū tempus ma-  
turum videbatur: interea rebus omni-  
bus intermissis, quinque, ex illis Xeno-  
dochium Diuorum Ioannis & Pauli  
in Xenodochium quod vocant Incu-  
rabiliū, totidem, ad pauperum egro-  
tantium curam, concedunt. Vbi dum  
singulari charitate ac diligentia, vili-  
sima quæque munera obeunt, dum af-  
flictos recreāt, quibusque possunt  
rebus, magnam probitatis ac religio-  
nis existimationem adepti sunt. Sed  
cum reliquorum omnium, tum vero  
magistri Francisci Xauier in excelsa cha-  
ritas, & plena sui, perfecta que victoria  
maximè tum quidem enituit, qui non  
contentus ea sedulo præstare, que sor-  
didissima erant, vt horrorē, quem sen-  
tiebat, perfectius vinceret, saniosa et-  
iam vlcera interdum lungebat. Tale il-  
lius principium, nec progressus dissi-  
milis, aut finis fuit. Ab illis tum Patri-  
bus, probationum Societatis funda-  
menta iaciebantur. Ad mediam Qua-  
dragesimam Romam proficiscuntur  
Ignatius tamen Venetijs de industria  
remansit

remanſit. Profectionis autem is mo-  
dus erat, Terni ſimul ibant, Sacerdos  
vnus, Laici duo, Galli, Hiſpanique ſem-  
per mixti. Sacerdotes Miſſam facie-  
bant quotidie, alij communicabant.  
Ieiunabant (quòd Quadrageſimæ tem-  
pus eſſet) diebus ſingulis; idque tan-  
tùm in cibum ſumebat, quod ex ele-  
moſyna ſuppeditabatur; quæ vſq; ad-  
eo tenuis erat, vt non raro panis tan-  
tùm cibus, aqua illis potus eſſet. Qua-  
propter multis magnisque laboribus  
ac moleſtijs perfuncti in hoc itinere  
Patres noſtri ſunt acciditq; vt die quo-  
dam Dominico, cum fruſtulum tan-  
tùm panis mane ſumpſiſſent, nudis pe-  
dibus, maximis & perpetuis imbribus,  
oſto & viginti paſſuum millia confi-  
cerent, tanta aquarum inundantium  
copia, vt interdum etiam tantùm pe-  
ſtore extarent. Pergebant tamen ala-  
cres, ſummaque lætitia animi geſtien-  
tes, Dauidis Pſalmos canillabant. At-  
que etiam magiſter Ioannes Coduri-  
us, qui pedes habebat ſcabiæ aſperſos,  
eo ipſo die ſanatus eſt. Multa Patres eo  
itinere diuinæ erga ſe prouidentia ar-  
gumenta ſenſerunt; & tam ſolidis ac-  
que eximijs voluptatibus à Deo affe-  
cti ſunt, vt laborum magnitudinem

exæquarent, vel etiam vincerent. Romæ tum erat doctor Petrus Orrizius à Carolo Cæsare in urbem missus, & Catharinæ Angliæ Reginæ, Imperatoris amitæ, aduersus Henricum VIII. qui, illa, legitima viuente vxore, aliam duxerat; apud summum Pontificem, matrimonij violati causam ageret. Hic contra opinionem illorum, diuino actus impulsu, Patres urbem ingressos, summa beneuolentia complexus est, ad summumq; Pontificem adduxit. Nostrorum aspectu plurimû Pontifex exhilaratus est, voluitque vta ipsa die, qua ad se primûm adierant, corâ se de proposita quæstione Theologica disputarent. Præterea ad sexaginta nummos aureos, in viaticum illorum contulit: suamq; benedictionem, ac Hierosolymam abeundi facultatem benignissimè est impertitus. Illis etiam, qui sacris initiati non erant, nomine & titulo paupertatis voluntariæ, & sufficientis litteraturæ, liberaliter facta est, sacros ordines suscipiendi potestas. Alij etiam, Hispani præsertim, pro sua quisq; facultate, pecuniam in sumptus itineris suppeditarunt. Itaq; summa coacta decem supra ducentos ducatorum: quæ pecunia sine vectura perie-

periculo, Venetijs à mercatoribus est curata. Neque enim nostri, quousque in nauim ascenderēt, quicquam illius attingere voluerunt: sed mendici omnino & vacui, quoq; modo venerant, Venetias ad sua illa Xenodochia reuerfi sunt. Paulò post ad pedes Hieronymi Veralli, Rossanensis tum Archiepiscopi, Sedis Apostolicæ apud Venetos Legati, postea verò etiam S. R. E. Cardinalis, paupertatis, castitatisque votis piè susceptis, sacris sunt initiati, sacerdotijq; dignitatem ipso die diui Ioannis Baptistæ, Ignatius, & reliqui sex, ab Episcopo Arbenfi sunt consecrati. Quo quidem die in ipsa consecratione, per magnam, atque adeò singularem tum Episcopus, tum ipsi animi senserunt iucunditatem.

IN VENETA DITIONE

*passim operantur.*

CAPVT VIII.

**D**Vm se Patres ad nauigationem parant, nauigandi spes omnis sublata est. Nam cū eo ipso tempore, Veneti contra Turcarum tyrannū, cū summo Pötifice & Carolo Cesare conspirassent, strato classib. mari,  
Hicro-